

Q. K. 356, 13.

(X1904450)

II t
364

C. B!

PANEM,

præ cæteris Esculentis

OPTIME-NUTRITIUM

Incluto, in Incluta SALANA, Philosopho-
rum Ordine,

adnuente,

SVB PRAESIDIO

M. JO. ANDREAE Schmidt/

Facult. Philos. Adjuncti,

*publica placideque eruditorum disquisitioni
exponit*

CHRISTOPHORUS Becker / Hemipolit.

Phil. & Med. Stud.

AUTOR & RESPONDENS

in Auditorio Philosophorum

Ad diem Augusti,

ANNO M DC LXXX.

J E N Æ,

Literis VIDUÆ WERTHERIANÆ.



56
Q2
Ka



Nonnulli quatuor vel quinque animarum genera numerant: primum, quod nutritionis & augmentationis, secundum, quod cum his simul generationis: Tertium quod sensuum: quartum, quod cur his etiam motus spontanei est principium: quintum denique quo intelligimus & sapimus. Sed sine ratione.

Si inter se comparantur illae animae, deprehendimus, vegetativam esse omnium primam, sensitivam mediam, intelligentem vero ultimam.

Intelligens est quantum ad potentiarum complexum maxime composita, vegetativa simplicissima, media inter has sensitiva.

Una in uno vivente habetur anima, sed una plures habet potentias, ac habet alia.

Anima vegetativa est principium nutritionis, augmentationis & generationis.

Nutritio est servatio corporis viventis per restaurationem ejus, quod in ipso continuo perditur, ex alimentis extrinsecus adsumtis, coelis ac immutatis.

Nutritio est quasi fundamentum ceterarum potentiarum in corpore organico.

Omnia continuo fluunt & alterantur partim externis corporibus ambientibus, partim ab igne quodam interno, indigent igitur perpetuo pabulo.

Ignis ille dicitur calidum connatum & innatum, quia cum vivente nascitur: naturale, quia pertinet ad viventis naturam, nec sine eo ulla operatio perfici potest. Non tamen est ipsa anima, nec naturam caelestem vel elementari superiorem habet sed ut atis videtur, rectius viventium temperamentum audit.

Verus est opinio universi corporis viventis substantiam tam ab infuso calore, tum ab aere circumstante, tum etiam causis aliis diffluere; adeo ut homo ad collegii ingressus bis idem non egredietur.

Anima nutritio adscribi nequit, cum sit ejus opus.

Fluo

Fluxus corporis nondum satis probatus est, contrarium ostendunt animalia fame eneēta & planta alimenti defectu arida, in quibus partes quaedam exsucca non tamen penitus consumta.

Quidam universalem corporis fluxum non admittunt, sed ab eo ossa eximunt.

In quolibet homine esse certam materiam, humana naturae partem ab Adamo in omnes propagatam, eamque semper manere eandem, seipsam augere & multiplicare probari non potest.

Calidum illud quo viventia constant, mobile cum sit, eget fomento perpetuo: hoc fomentum cum sit humidum idque pingue vel oleaginosum, dicitur vulgo calor consistere in humido.

Hoc humidum cum continuo absumatur, continuo etiam restaurari dicitur, alimentis extrinsecus assumtis.

Alimenta autem corpora mixta, ejus constitutionis, ut à natura viventis transmutari atque tum conservationi humidi & calidum partium augmento, quamdiu necesse fuerit, in servire possint.

Alimenta sunt substantiae viventis partim dissimilia, partim similia.

Augmentatio est ejusdem illius corporis, quod primum exiguum valde est, & ad plerasque operationes insituendas ineptum, ad majorem modum deductio, itidem ex istis alimentis.

Cuncta viventia quando ex locis genitalibus erumpunt perfecta quidem sunt qua formam & speciem, imperfecta quae corpus & quantitatem, gaudent tamen potentia quadam, qua se perficere valent.

Fit augmentatio in omnibus ac singulis corporum partibus, secundum omnes dimensiones, manente tamen cujusvis partis figura ac situ & toto corpore secundum numerum eodem. Secus si accidit, est ex constitutione praeternaturali.

Incipit in ipsa Generatione & continuatur ad illud tempus, quo partes operationibus subeundis idoneae factae sunt.

Ab hoc termino excipiuntur dentes, utpote qui continua restoratione indigent. His alii addunt pilos & ungues.

Ossa dum calido tandem solidiora ac duriora redduntur continuum augmentum non admittunt.

DISSERTATIO

De P A N E.

I.



Uemadmodum Romani olim adcumbentes
cœnam à lactucis ordiebantur: sic etiam præfens
hæc Tractatio ab evolvendâ *Nominis* origine, (au-
spicatô utinam!) auspiciam trahit; hanc ope-
ram, metu forsan tædii, non adeò evitatura,
quàm Celebratissimi instinctu Galeni (a) peractu-
ra, cum sic ait: Ὅτι πάντων ζημιένων λόγον χεῖμε-

a) l. M. M.

C. 5.

τα λαμβάνεσθαι ἔνομα; quod nimirum est πᾶν, omne; inde *Panis*:
Non aliter certè, quàm mundus a Philosophorum Principe dici-
tur πᾶν, totum, omne: quòd, sicuti ille universam rerum natu-
ram complectitur: ita panis in suo etiam genere alimenta homi-
num nutritia includere possit omnia. Unde & exoticis in linguis
voce nullâ meliori commune hoc alimentum ornari, constat. Ne-
que etiam non (ad notante illud Chr. Becmann. (b) Hebr. dici-
tur **בַּחֵל** **מִשָּׁבַע**, *baculus Panis*, i.e. robur & fulcimentum, quo
vita innititur humana, singulis diebus sustentanda: Cujus sen-
tentia amici aliàs Græci ore rotundo salutant panem *ἄρτον*, quod
crebrò *ἀίρεται*, i.e. sumitur. Quamvis alii id nomen aliunde vel ab
ἄρω, vel ab *ἄρτιος* deducere velint, censent. Schr. in Lex.

b) O. L. L.

p. 805.

II. Ast verò, quomodocunque sit, in hoc tamen varia o-
mnis *Etyimologie* ratio convenire solet, quod panis certè reliquis,
quæ edulii cujusdam nomine veniunt, omnibus palmam præripi-
at, omniaque esculentorum genera, epitomes instar, complere
possit. Quemadmodum & in sacris haut semel constat; legi *pa-
nem*, tanquam *primum & ultimum cœnæ condimentum*, pro epulis
exquisitissimis: Etsi plures heic panis, in laxiori significatione ac-
cepti, *Homonymiam* eruere malunt; quæ cum nos haut offendat,
sic eam suo relinquimus loco. Sufficit interim nobis, laudabile
nomen panis reipsâ satis convenire, sine quo, tantùm abest, ut
mortalis homo salvus constet, ut ne ullo etiam die puram putam
trahere vitam possit.

III. Et

III. Et hinc plures sanioresque gentiles, *Dea* potius *frugum*, quam *Dodona*, faventes, dignissimum in panis victu, satis vitæ conservandæ genus quæsierunt. Nos verò, sicuti non à Cerere rationem frugum serendarum metendarumque accipimus; ita non magis etiam cum Pilumno facimus, magistro utpote pinsendi conficiendique frumenti superstitione olim credito (c): Sed, prædicatâ Dei potius, Creatoris Optimi, Benignitate & Providentia, ab orbis statim exorsu factâ & patefactâ, (d) naturæ potius artisque vestigia premamus, obsequiosissimè discentes; quomodò in substantiam panis sit ingrediendum, panis, inquam, præ cæteris alimentis optimam nutritionem exhibentis.

a) Pol. Virg.

L. 3. c. 2.

d) Gen. 3. v. 19.

IV. Ubi initio equidem ad curatiorem mentis indagine in primis duo perspicere juvat, 1. *Materiam*, ex quâ, & 2. *Formam*, per quam: Et illam quidem à naturâ, optimâ rerum generatrice, hanc verò per artem; quæ ultimum pani complimentum, industriâ quippe humanâ, inducit, ad meliorem ejusdem cohærentiam, consistentiam & compactionem. Sed anteq; ipsam Disquisit. hujusce medullam ingrediamur, §. huic culmen Definitione panis constituere licebit, fortè sic sese habenti: Panis est corpus mixtum, ex farinâ & liquore, inter se subactis, constans temperatoque ignis calore, per assationem, elaboratum sic, ut corpori a-lendo optimè inservire queat.

V. Interea, ne horum aliquid sine ratione dictum videatur, videatur primò illud ad firmandum, quod nullus unquam cibus cibique alimentum naturæ nostræ adeò conveniat, quam panis; idq; hæc propter, quum ille ipse optimum in sese contineat *temperamentum*, quo aliàs homo maximè judicatur idoneus ad perfectiorem sanioresque vitam. Dum enim hominis constitutionem cum ciborum naturâ secundum primas Elementorum qualitates, seu (ut Stagiritæ mavult,) potentias metimur; adeò ut temperies humida & calida unicuique valdè proficiat; sequitur etiam exinde, quod ejusmodi esculenta, quæ *calida* sunt atque *humida*, conservationi istius temperamenti ut plurimum inserviant.

VI. Enimverò scilicet, quemadmodum mixti alicujus corporis partes & requisita prius æquâ lance ponderari debent, quam eorundem constitutionem experiamur; sic dispiciendum hæc primùm est panis optimè nutritii *INGREDIENS*, seu *ESSENTIALE*; quod est *frumentum*, sed non omne, nisi strictè sic dictum, ex quo ut plurimum hodiè apud plerosq; conficitur panis excluso sic quoque illo, quod ignobilius parumq; nutritioni aptum dignoscitur ab illustri D. Mœbio, Acad. quondam hujus Appolline (e). Frumentum ergò nomine suo satius dignum nostri hujusce alimenti basin constituit, ex quo *triticum* & *secale* primas tenere, laudatus modò summi ingenii Vir rectè judicat, eò quòd calidi magis & humidi ista sint temperamenti; suffragante itid. Galen. (f) & Sebizio (g).

e) Inst. Med.

L. IV. p. 2. c. 1.

f) I. M. loc. cit.

L. 8. simpl. c. 1.

g) L. 2. c. 1. de

Al. Fac.

VII. Quid naturâ autem duntaxat nulloque artificio præparatum conduxerit frumentum, ni multis innumerisque ferè laboribus antea reddatur obnoxium; & primo quidem molâ conterendū abeat in *farinam*, quæ, separato furfure dehinc cribro pollinario magis magisque excernatur, do-

donec, omni exuto dedecore, purissima evadat & subtilissima, flos farinae
aliàs dictâ?

VIII. Neque illud sufficiet modò, quare necessum in panificio erit
liquidi alicujus adfusio, seu *humor* aliquis, (ceu alterum panis Essentiale,)
substantiam farinae penetrans, ejusdemque partes omnino dissolvens. Aliàs
enim nec particulae panis subtiliores, a crassioribus derentæ, virtutem suam
prodere, nec motus fermentationis, (qui tamen, pani omnem tribuisse vigo-
rem, dicitur,) ritè procedere posset, sine tali subjecto heterogeniis partibus
prædito. Imò, cum summa summi Aristotelis sententia huc referri queat, di-
centis: (b) Animalia non nutriri siccis & humidis tantùm, sed utrisque inter
se mixtis: De quibus etiam consulatur Nobiliss. atq; Excellentiss. Dn. Posne-
rus, Præceptor noster ac Mœcenas æternùm suspiciendus in Disp. de Alim. §. 1.

b) Lib. de Sens.
& sens. c. 5.

IX. Admisto autem tali humore additoque fermento & Ole com-
muni, ceu condimentis optimis, non prætereunda est *fermentatio* illa, quæ
occasione eò magis externi moventis, fieri solet in massa farinacea, motu
tamdiu alterativo mirum in modum exagrandâ donec vel debita hinc ena-
scatur perfectio, vel recens ejusdem fiat alteratio, à particularum minuta-
rum nova unione aut contemperatione veniens.

X. Hinc porrò etiam requiritur simplex primò illa atque operosa
dein extremo non absque conatu, *subactio*, ut fermenti, & farinae unienda,
fiat mixtio, & mixta unio, juxta illud (i): *Partes singulas diminui, adeoq; agi-
tatas extenuari, necesse est.* Ne autem aliquid obsit in massa hac vel calidi, vel
humidi, superest adhuc, ut abundantior humoris additi copia & massæ glu-
tinofitas calore temperato, in clibano, absorbeatur, quò, pane affato demta-
que ejusdem crassitie, (ceu idem Noster adnotat) (k) ipse & frangibilis existat
& tenuis, farinaque tenuissimum exuratur.

i) Arist. Probl.
S. 21. q. 1.

k) Probl. 12

XI. *Partes* autem ritè sic confecti panis censerì duas, patet, crustam
scil. & porosam interiùs medullam; quarum hæc delicatiores gaudere solent,
tanquam velociùs nutriente, illà verò crudis laboribus dediti vesci amant,
quòd fortius alimentum præbeat: Ut pluribus non attingatur etiam cortex
panis inferior & superior, unusque alteri, ob majorem subtilitatem, præ-
ponendus.

XII. Quamvis autem pleraque hæc jam dicta ad furnariam aliquo
modo accedere videantur; nihilo tamen secius, quin eadem nostra quoque
fecerimus, cogit nos perquam-necessaria cognoscendi panis ratio, hujusque
naturæ, ab incunabulis ejusdem ad summam usque perfectionem, indaganda.
Cujus verò tandem legitimo præparationis modo colophonem addit
Ἐδοξότα Pergamenus (l): *Concoctu*, inquiens, *inter panes sunt facillimi*,
qui plurimum sunt fermentati & pulcherrimè subacti, quique in clibano igne
moderato fuerunt affati; sic enim in ventriculo bellissimè concoquentur, atque
ad cæteras actiones, quæ concoctionem consequuntur, erunt ad commodatissimi.
Aurea sanè verba, idem fortasse denotantia, vulgò quod dici solet: Vitium
primæ coctionis non corrigitur in secunda! Ex adverso autem, ubi prima
in ventriculo coctionis scaturigo salva existit, ibi rivuli deinde etiam cæte-
rarum partium totius corporis humani ritè profluant, necesse est, humorem
nutritivum genituri, optimæ notæ, optimi temperamenti.

l) L. i. d. Al.
Fac.

XIII.

m) Tr. de Vict.
Rat. §. 25.]

XIII. Quam igitur ob rem *Panis* hâc ratione perfectè elaboratus *commodum cibum præbet*, & *temperatâ suâ naturâ*, calidâ scil. atque humidâ, sanitatem hominis moderatur, juvat, promovet: Inprimis cum ejusdem *alimonia* non sit *medicamentosa*, sed *simplex*, (cei Medicorum Scholæ vocant,) hoc est nutriendo potius, quàm alterando corpori inserviens, viresque suas in *restaurationem* perditæ, in partibus, unice intendens: Quamquam stomacho, præ cæteris eduliis, adeò per-acceptus dicatur ab Helmontio (m) panis, ut in eodem propter fermentum susceptum liquefcens in *cremorem*, herbas & cibos, quibuscum masticatus, colliquefcere cogat; (quod in digestionem firmâ quotidie experimur,) sicque ventriculo optimè succurrat chylicanti, quò $\chi\upsilon\mu\omega\sigma\iota\varsigma$ dein eò magis procedat.

XIV. Quamvis autem multiplicem, sicut omnium ciborum, ita & panis nostri alimentum sustineat prius *mutionem*, quàm in substantiam corporis nostri coalescat: nihilominus tamen illud idem adhuc semper retinet sua quædam *idiomata*, partibus ipsis nutriendis communicanda; id quod etiam fieri non posset, nisi, panem tot alterationibus ad nutritionem, præparari, constaret.

XV. Cum videlicet frustula panis in ore, dentium juvamine, masticata, ab humectante verò salivâ magis magisque alterata ventriculo committuntur, in quo, mediante ejusdem calore, seu fermentali potius humore, qualiscunque ex optimo hoc cibo facta est chyli substantia, talismodi paulò post per ductum thoracicum in venam ipsumque cor delata efficitur sanguis; idq; iteratâ, per circulationem, novæ fermentationis opera, in dextro cordis thalamo exorsæ, in sinistro consummandæ, ita, ut eadem particularum in se invicem agentium instituat unionem arctioremque connexionem. Enim verò non promiscuè hoc fieri intelligitur, sed sub hac cautela, ut quo dictæ particulæ plus in se contineant puritatis & volatilitatis, (ut Chemicorum phrasæ id eloquuntur) eò major etiam inde exurgat effervescentiæ copia, ad firmius deinde unionis vinculum disponenda, nutritionique, tenuiore nexu, ad commodanda. Quis autem cibus quodve alimentum hæc adeò facile & feliciter expedire poterit, quam nostrum sanè multò laudandum, nunquam satis collaudandum panis ferculum? In quo certè quod \sim tuosa illæ tenuesque particulæ delitescant, insigni documento probare satagunt Chimiæ Cultores, qui fervidâ Mulciberi ope non modò easdem elicuisse, sed ex pane fecalino etiam temperatâ flammâ \sim Acidum & Volatilem evocasse nôrunt. Siquidem & per particulas illas subtiles nihil aliud volunt intelligi, quàm \ominus lium Acidî & Alkali solutionem, ortâ à mixtarum partium agitatione & crassiorum attenuatione, nullam activitatem prius habentium. Hæc igitur in pane constitutas optimè particulas, heterogenea & subtiliori qualitate præditas, magis magisque combinare potest effervescencia illa, ad indissolubilem sanguinis conjunctionem, & ceu dicta est, per conseq. ad majorem firmioremque *nutritionem*.

XVI. Cæterum, ut illa adcuratiùs jam evolvi non licet, ita hæc potius alto silentio haut sunt transmittenda, quæ ostendant, in retinenda alimentî nostri proprietate mirabilem alterationem, & in mirabili alteratione retin-

nen-

nendam adhuc proprietatem observari. Primò enim, si verum est, quod subtilitatum Argus ubique contestari solet: τὸ ὅμοιον scil. ὁμοίω τῷ ἐφείδῃ, simile simili nutriri; opus sane est aliquà prius unionis dissolutione, ut alimentum alendo corpori simile fiat; cum idem omne non sit dissimilis quidem naturæ cum illis partibus, quibus cum unitur, absimile tamen corpori illi, quod nutriri debet: id quod sapientiss. Arist. binis exprimere novit; Dissimilem vocans τὴν Ἰσοφῆν ipsomet actu, similem verò potentiâ. Vel magis, ut supra meritoque laudatum Dn. Posnerum, Præceptorem Honoratissimum, optimè exponentem audimus: (n) cum omne illud, quod ab animato adsumitur, non prorsus sit simile, priusquam concoctum sit; postquam verò concoctum est, in rei substantiam versum, eidem simile fiat. Consonum hisce audit Philosophorum axioma: Unumquodq; nutriri ex iis, quibus constat: quod verò uti de materiâ remotâ intelligi absurdum esset; ita conformius adparet, dici hoc de materiâ proximâ, quæ (ut rursus Ch. voc. utamur,) particulis Δει, Ξει & Θει, activis tanquam, alituram nostrâ absolvit. Et in hoc genere vix ac ne vix quidem constat, dari ullum unicumque nutrimentum, quod solidam vim harum particularū in sese adeo contineat, quam temperatissimus ciborum omnium panis; qui, per masticationem, chylificationem & sanguificationem in purpuram alimentalem conversus, singula membra singulariter amicienda convestit, proq; variis modis variè sese exerens reddit, quod evacuatum est, τῇ ἀναπληρώσει, (ut Galen. ait,) τῆς ἕστιας ἀπορροῆσεως, vel magis sec. Peripatet. conservans maximè, succendiculi instar in lampade, calorem nativum.

XVII. Deinde, si in admirandâ etiam alteratione retinendam proprietatem inquirimus, invenimus pariter, quod debito modo expurgatum nobile illud pabulum communicet corpori nostro incomparabilem suam naturam adservans tenacissime idiomata sua, nunquam ante deponenda, quam extremum corporis alimentum, nempe sanguinem arteriosum in totam hominis molem diffuderit; ubi adhuc, si quid restat in tertiâ coctione prorsus conficitur, & more decenti perfectè elaboratum denique in ipsam viventis substantiam solidâ conversione transponitur, προσφύσει nimirum, προσθεσει, καὶ ὁμοιώσει.

XIIX. Est igitur panis eritque *prestantissimum nutrimentum*, quod nobis sese omni mancipatione attribuit, & naturâ suâ nobiscum in unum coalescit; quam uniendam postea θεέψιν diuturnior solitaque magis consuetudo adsumendi panis juvat per crebram, mutuam actionē & passionem agentis ac patientis, ut æqualitas inter eum & naturam nostram penitus introducatur.

XIX. Quid jam porrò exinde corpori humano & vigori ejusdem, per legitimas actiones efficaci, possit accedere commoditatis & per quam necessariæ utilitatis, hujus loci non est dispicere. Interea id certum est, vitam nostram, dum calore & humore fovetur ac servatur, non posse constare absq; nutritione, quam magis equidem suppeditat panis *alimentum optimè temperatum*: sive; ~ vitalem, quo præsentē vitæ nostræ lux oritur & splendet, absente extinguitur, materiâ substratâ opus habere, quâ sustentetur; hanc autem nullam magis addere potest, quàm panis fructuosius Elementum,

n) cit. Diss. de
Alim. S. 5.
Vid. d. h. et.
Syst. Phys. G.
L. 6. c. 1. S. 10.

o) Ps. 104. 6. 15.

tum, & partibus quidem magis pinguibus, oleosis & sulphureis. Quod idem etiam testimonium Psalmistæ Θεόπνευστος notabiliter indigitare videtur (o) inquentis: confortat panis cor hominis, ut vinum id lætificat; (ubi tamen prius & potissimum requiritur τὸ ζᾶν, quàm τὸ ἐνζᾶν). Corde autem, tanquam primariâ ~ vitalis sede corroboratâ, vegetari quoque reliqua corporis membra, patet, quæ exinde ad singulas suas partes vitale trahunt pabulum.

q) Diff. 45.
r) l. de Alim.
Fac. ex Bruer.
l. 6. de Re Cib.
c. 1.

XX. De aliis jam Effectibus panis multa meminisse, propositi nostri ratio non permittit, imprimis verò externum laudabilemque panis saporem commendare: qui ut est vehiculum qs. cæterorum ciborum; ita etiam ex sese, præsertim si fermento & Ole benè conditus sit, saporem miri acuminis solus præbet. Cui adcedit, quod aliqui de efficaciâ panis, odoratui proficiente, mirifica produnt; quod sc. naribus idem admotus humores acres atque acidos in capite destruere soleat; imò etiam vino imbutus turbidum haudnunquam, gratiosi aliàs liquoris, fontem, sc. cor, recreare, collapsas syncope correptorum vires restituere, quin solo suo odore terminos humanæ vitæ protrahere possit; adprobante id. Sebiz. (p)

p) L. de Al. Fac.

q) Phys. cur. L.
3. c. 27.
r) l. de Alim.
Fac. ex Bruer.
l. 6. de Re Cib.
c. 1.

XXI. Non solum verò panis per se omnium τροφικώτατος verè existit, sed cæterorum quoq; victuû salutatur princeps & fidelis quasi inspector, delicta eorûdem virtute suâ corrigens, merito suo restaurans ne (quem admod. supr. relat. est) dicam, ventriculo nostro peracceptus, toti que humanæ naturæ conformis. Id quod etiam nos docere possunt, qui, singulari antipathia laborantes, caseo, butyro, carne que animalium sæpius sese abstinere, adversis ceu aliquando humanæ naturæ alimentis; panem tamen semper adpetant, semper desiderant, unicum tanquam sui adhuc sustentaculum, quod, sine ullâ iniquitatis ac temeritatis notâ, susque deque habere non audent. Neque unquam vix, præter naturalem ejusmodi statum reperiri, constat, ubi quidam panis æquè ac vini aut carniam ex animalibus desumptarum, &c. sic abstemius deprehendatur; nisi bina quædam exempla ostendantur: unum equidem apud Schott. (q) pueri cujusdam, in utero matris gravidæ sic dispositi; alterum verò juvenulæ cujusdam sedecim ann. natæ (r) apud Sebiz. nullisque unquam cibus adsumptæ, præter serum lactis. Aliàs ejusmodi homo, ab esu panis, p. n. sic alienatus, est (ut Satyric. inquit) (s)

s) Juven. Sat.
6. 6. 165.

t) Verul. Hist.
Vit. & Mort.
u) Il. N.

Rara avis in terrâ, nigroq; simillima cygno,
Ut etiam, (ceu supra dictum est,) rejectis omnibus alimentis, panem adpetitu sibi intercludi nemo facile patiatur: Id quod in agris videre licet, cibamenta pleraque, panem rarissimè tamen, ceu unicum naturæ adhuc firmamentum, (t) averfantibus. Siquidem & hoc admirationem haut exiguam meretur, quod, cum Test. Homer. (u) ipsometque genii nostri indultu, omnium rerum nos capiat satietas; Panis tamen fastidio nunquam teneamur, quia tantum abest, ut sit à naturâ nostrâ alienum, ut potius quod nunquam satis repeti potest, eidem sit admodatissimum.

XXII. Aliorum interim ex adverso, pars maxima esculentorum nutritioni sæpius non tam existunt commoda, quam nociva; dum mali plerumque sunt succi, difficilis coctionis, indeque insalubres, pravâ coctionem-

neque impediēte qualitate imbuti, & facile noxii. Hoc veluti exacte nobis demonstrant legumina inprimis, fruges spuria alias dicta, neque non olera, quæ cruda plerumque & κακὸς χυλα B. dicuntur Mœbio: (x) Fructus itid. arborum succis plerumque qui scatent fluidis, sanguinem vitiosum & putredini facile obnoxium gignentibus. Et quid de carnibus brutorum, quibus vescimur, insidiosis tanquam naturæ nostræ, & eidem plerumque contrariis? Quid autem, in specie imprimis, de carne suillâ & bubulâ, it. & vitulinâ? quarum hæc infirmi nutrimenti, ista ægræ & facilis parum, illa difficilis coctionis haut immerito dicitur. Casei, nomine suo famosissimi indignum usum recensere, operæ non est pretium, cujus egregias verò laudes, (scilicet!) vid. ap. Nobil. D. Mœb. (y) Alia porrò esculenta, si quæ sunt, sicco calce præterire jubet styli & temporis jam habendi brevitatis: præcipue cum illis peccetur & quantitate & qualitate, adsumtis acidis simul & amaris, dulcibus & acris; quorum ex miscela innumeras, tanquam ex equo Trojano, descendere nutritioni nostræ insidias, nemo nescit.

x) Epit. l. 1. p. 2. c. 3.

y) C. 4. p. 2. l. 4.

XXIII. De iis, quæ potum concernunt, animus non est modò, aliquid proferre, ne videatur μεταβάσις εἰς ἄλλο γένος facta; interim tamen id certo certius est, quòd si adfirmeretur, potulenta quædam, inprimis vero heic, (ne mentionem vini aliquam faciamus) cerevisiam nutrire, nutritio hæc non tam liquori, sive potui illi ex se, quam potiori ejusdem Essentiali adscribenda sit, nempe frumento, quo mediante potus factus est: id quod nomen à Cerere ipsi latum quoque ostendit. At verò in potu hocce prædominatur non adeò basis frumenti, ac liquoris sui; cui accedit, quod cerevisia illa sit per quam fluida, firmum aliquod nutrimentum haut præbens. Et sic contraria contrariis opposita magis illucescere nunquam non possunt!

XXIV. Neque verò Cynthium heic timemus, aurem quodammodo vellicaturum, maledicendo forsan coctioni panis in ventriculo; cui tamen sat graviter Resp. potest frequentius non sine laude citat. Sebiz. z) Panis ventriculo est gratus, omni ætati atque tempori conveniens, alimenti plurimi, saluberrimi & firmissimi, maximeque durabilis. Adcusent hinc alii gravi forsan absque injuriâ triticei panis viscositatem, quâ obstructionem in vasis effici creditur, iisque adeò noxiam, qui viscerum obstructionibus laborant. Verum enim verò, uti hoc sanctis Medicorum rationibus atque experiētiis judicandum linquimus, quorum contrarias sententias facile, opus si esset, possemus adducere; sic etiam illud strictè dicendum minimè videtur, præcipueque de illis, qui lautius quodammodo vivere soliti triticeis unice gaudent dapibus, sine omni tamen virium dedecore. Cæterum neque illud infrequens est, viscositatem hanc tritici secali permistam facile corrigi, si nimirum grave necessitatis telum hoc efflagitaret: sed auscultemus, quæso, potius divinum nostrum Philosophiæ Parentem, qui, visciditatem hanc melius adglutinari & consolidari corpori nostro, expressè fatetur. (aa) De aliis, quorum plurimi haud sæpius pane triticeo vescuntur, sed inprimis pane inferioris, ut videtur, fortis, sanioris tamen, gaudent, hæc, nisi frustra, objici nequeunt. Unde etiam ex secali, & quidem vel ex sola hujus farinæ medullâ, vel admisto haudnunquam triticeo, seu quod rarius, hordeaceo polline, nascitur panis optimi saporis, firmissimique nutrimenti, juxta Clarissim. D. Mœb, sæp. allegat. (bb) qui ut frequentior, sic

z) L. de Al. Fac

aa) S. 2. Probl. q. 2.

bb) L. cit. p. 2. c. 2.

natu-

9X
TT
364

naturæ magis nostræ conveniens existit, aliàs dictus *Panis cibarius* seu domesticus, vulgò, apud nos, *Hausbacken-Brodt*.

XXV. Cæteras *panum differentias*, quæ ad *qualitatem* spectant, v. g. panem furfuraceum, subcineritium, (qualem in Guesphaliâ usitatissimum Lipsius non tam singulari maectat encomio,) it. acerofum, acetofum & squarofum attingere, præfens hoc negotium non permittit; quod de pane majoris nutritionis non in suo genere, sed *respectu cæterorum esculentorum* potius agere intendit. Neque verò, juxta *quantitatem*, diversas panum, (relictis hisce potius artificio pistorum,) figuras, magnitudinem & colorem hæc pagella sustinet exponere: Inprimis verò panem illum, quem calore furni bis tostum, exsiccatum & leviolem factum ad diuturniorem usum, suavesque delicias adservant multi, in Sax. Infer. *Zwiback* hisce in oris *Zwiback* adpellitatum. Multò verò minus hæc vice pulsem hordeaceam Galeni degustare lubet, de quâ alibi.

cc) C. 17. XXVI. Aliàs, ne id quoque celetur, Schola Salernitana de panis, nutritioni nostræ optumè profuturi, constitutione hæc addere solet verba, rei potiùs ipsi, quam profodiæ inservientia: (cc)

*Panis nec calidus, nec sit nimis inveteratus,
Sed fermentatusq., oculatusq., ac bene coctus,
Et salsus modicè, & frugibus validis electus, &c.*

dd) Exod. 25, vers. 30.
ee) Marc. 6. 6.
6. 8. Joh. 6. 6. 13.
ff) VI. Symp.

XXVII. Quibus ita jam positis, apprimè constat, quod ex antea didis luce meridianâ clariùs adparet; Pani à cæteris, ut vocantur, eduliis herbam porrigi, tum ob antiquam, à Deo & in V. (dd) & N. T. (ee) concessam, dignitatem, & quod non minus est, præstantem in nutriendo facultatem, quâ toti humano generi, (de brutis equidem non dicemus, æstumatissimo quippe hocce alimento quasi indignis) optimum robur præstat & vitale decus; adfirmante idem, hoc Plutarcho. (ff)

XXIIX. Hinc panis quoque noster, præ reliquis palato nostro inservientibus, dicitur esse τὸ πάντων (ut Græc. loqui student,) ἰχυρότερον καὶ εὐκρατέστερον, πολυχρησιμότερον καὶ πολυχρηστότερον; imò primarium & princeps hominis nutrimentum, quod si dixeris, omnia dixeris, quæ ad vitam optimè degendam necessaria requiruntur: Cum solus iste nimirum nutricari homines possit, sine aliis adhuc eduliis; neque tamen, ex adverso, quævis edulia hoc præstare queant, sine pane: sed quo absente nullum alimentum corpori efficaciter præfens habendum sit ac profit, gratiam suam & virtutem ab illo unice expectans. Quò & Θεανδρώπης, Salvatoris nostri, Architriclini maximi, tendit media Orationis particula, quam nobis quotidie repetendam inculcavit, à DEO nihil magis, utpote, hæc in vitâ, unquam expetituris, quàm panem ἐπίσσιον, reliquis, si victum maxime consideremus, ad superfluum quasi voluptatem habitis.

XXIX. Sed quid opus fuerit, *prærogativam panis*, quod *nutritionem* spectat, dignitatem, nullâ equidem commendatione egentem, pluribus hisce diduxisse, ni (proh dolor!) quoque constaret, ab aliquibus panem, non ut primarium, sed vile tanquam obsonium haberi, usui humano dicatum more potiùs inveterato, quam inevitabili, (quâ tamen est,) necessitate, perque necessariâ utilitate: Cujus tamen dignâ cum laude satis explicandæ heic statuendum magis esset initium, quam

F I N I S.

M. Θ. Δ.

1017

Q. K. 35b, 13.

P
OP
Incluto

M. JO
CHRIS



M,
entis
IT IUM
Philosopho-
Schmidt/
cti,
tioni
e/Hemipolit.
S
E.
n
Ka

